



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Svmma, Sive Avrea Armilla Bartholomæi Fvmi Placentini,  
ordinis Prædicatorum, ac hæreticæ prauitatis Inquisitoris**

**Fumo, Bartolomeo**

**Antverpiae, 1570**

Martyrivm.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-30427**

## MANIFESTVM.

**M**ANIFESTVM, quod est idem quod notorium, est proprie id, quod probatione non indiget: secundum glo. e. olim. de verb. sig. Vt quando euidencia facit manifestat, vel constat per confessionem, vel legitimam probationem. Alio modo id dicitur manifestū, quod sufficienter probari potest, & de facili per multos testes. l. hæredes. c. de testam. tertio modo manifestū dicitur, quod patet omnibus, vel aliquibus, & in re dubia, vel in penalibus. capere oportet primo modo: in c. si. de verb. sign. infra, Notorium, §. 1. Etiam secundum Pan. in c. olim. de verb. sign. Dum de manifesto loquimur materia subiecta consideranda est, & loquendi vsus.

## MARTYRIUM.

**M**ARTYRIUM sustinere, & ad hoc subeundum paratum esse, quando opus est, propter Christū, & salutem animarū, est in præcepto Th. q. 4. q. 12. a. 2. alius est de perfectione, scilicet se offerre. Aliquando malum est se offerre, ne detur occasio alicui male agēdi. Cum autem offertur, debet patienter tolerari. Et quodcumque bonum humanum relatum in Deū, martyrij causa esse potest: ex Th. secunda secunda. q. 124. a. vlt.

## MATRIMONIUM.

**M**ATRIMONIUM est coniunctio viri & mulieris, indiuiduā vitæ consuetudinem retinens, inter legitimas personas. 4. sen. d. 27. secundū magistrum, Tho. & Pet. de pa. Ex hoc sequitur, quod neque vnus vir plures possit habere vxores, neque vxor plures viros: quia loquitur in singulari: neque vnquam nisi ex diuina dispensatione licuit: quia est contra legem naturæ, in qua solus Deus dispensati in cap. gaudemus. de diuort. Item intelligitur definitio de matrimonio consummato inter fideles: quia hoc nunquam potest separari, quin sit matrimonium, licet quod ad habitationē que. t.

In contractu matrimonij contingit multis modis peccare, vt si contra

hatur contra impedimenta, vel non debito modo, vel contra intentionem sacramenti, vel mala intentione, aut et indignitate personæ: & de omnibus his oportet confessorem esse bene instructum, vt sciat quæ impediunt contrahendum, & quæ dirimunt contractum, & huiusmodi.

**I**MPEDIMENTA matrimonij, quædam impediunt contrahendū, & dirimunt contractum, quædam impediunt contrahendum, sed contractū non dirimunt. De primis impedimentis sunt hi versus pro memoria à summissis recitati. Error, conditio, vorū, cognatio, crimen, Cultus, di. paritas, vis, ordo, ligamen, honestas: Si sis affinis, si fortè coire nequibus, Hæc socia da vtant connubia, facta retractant. Hæc dicuntur impedire: quia si matrimonium de facto contrahatur, nõ tenet secundū legem, & dirimūtur matrimonium, non verū, sed taliter de facto contractum. Nam si superueniret vero matrimonio, nõ dirimeret: quia verum matrimonium non separatur.

**P**RIMUM impedimentum est error circa substantiam personæ, vt si intendendo contrahere cum Hippolyta, & contraho cū Antonia, vel intendo contrahere cum primogenita, & supponitur altera, tunc matrimonium nullū est. Si autem error esset circa qualitatem, vt quia credebam pulchram, diuitem, vel huiusmodi, & non est sic, nihilominus tenet matrimonium. cap. tua. de sponfal. & Panormit. in cap. 2. de coniug. seruo. & Thom. 4. sen. ten. d. 30. a. 1. Primum non est matrimonium, quia non cõsentit in personam. not. in c. tua. de spon. Secundū sic, quia cõsentit in personam, nõ in qualitatem.

**S**ECUNDVM impedimentum est conditio, scilicet seruilis, vt si quis cõtrahat cum serua, quam credebat liberam, cum ipse sit liber, matrimonium non tenet. Idem de libera, si ignoranter contrahat cum seruo: quod si sciret, non contraheret, quia seruus non potest tradere potestatem corporis sui alteri: secundum Thomam. 4. sentent. d. 35.